

MISAE

1019

OLL

NIEN-



Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati mihi  
Witzeb.  
p. mat. 12. q.  
p. hinc. 4. q.  
Al. Joh. Reibel.  
1624.

COLLEGII  
DE SACRAMENTIS  
Disputatio XVII.

*Hoc est*

PENTAS

Errorum Papisticorum circa  
*Exaesiav*  
*Quam*

Annunte JEHOVA  
SUB PRÆSIDIO

**Dn. BALTHASARIS MEISNERI**

S.S. Theol. D. & P.P. Magnifici p.t.  
RECTORIS.

*In privato Collegio examinandam*  
*proponit*

M. TOBIAS Fleck Cüstrino-  
Neomarchita.

*Habebitur ad d. 10. Xbris, horis pomeridianis*  
*in minori Auditorio.*



WITTEBERGÆ,  
*Ex Officina JOHANNIS GORMANNI,*

ANNO clō 10 e xx.



DAVIDI HERLICIO  
ZIZENSI,

PHILOSOPHIÆ MEDICINÆq; DO-  
CTORI CLARISSO: MATHEMATI-  
CO APUD INCLUTAM STARGAR-  
DIAM EXCELLENTISSIMO,  
DNº. PATRUELI SINGU-  
LARITER SUSPI-  
CIENDO.

*D. DQ.*

Autor & Respondens.

*Esa. 29. §. 13.*

Timuerunt M E mandato hominum  
& doctrinis.

**D**E quinque potissimum erroribus sive superstitionibus in presenti Disputatione agere animus est; primum de Cramate Eucharistico: proxime de Consecratione: mox de durabili unione & asservatione Sacramenti: ab hac de ejusdem Circumgestatione: ultimum de veneratione religiosa. Id negotij ut universe Rei Ecclesiasticae FELIX FAUSTUMq; esse jubeas.

CHRISTE tua intensis pulsamus pectora votis.

## I. DE CRAMATE.

I. Ritum Cramatis ( ita enim vini Eucharistici per aquam dilutionem dictitant ) adeo necessarium esse credunt Papiseque, ut nec sine gravi peccato omitti possit; Bellar. lib. 4. de Euchar. c. 10. imò non posse calicem Domini esse, si vinum solum sumatur; referente Hospin. part. 1. Hist. Sacram. libr. 2. p. 5. & lib. 5. p. 447.

II. Hæc quidem Cardinalis cum gregalibus suis dicit, at non docet; aut si hoc facit, satis frigide facit. Non n. illi patrocinator SCRIPTURA, non Hist. Evangelica; de vino, de genimine vitis pleniore ore insonat; de aqua ne quidem sibilat; De hujuscemodi misturâ lapis prius loquetur, quam hæc ipsa Scriptura, Scriptura Divinissima, verissima Scriptura. Id quod ipsum Iesuita indicat loc. sup. alleg. An vinum aqua mistum in calice fuerit ante consecrationem, ex SOLA scri-

ptura non habetur. Quod si ita est, & nos ori digitum hinc imponere, quam curiose unguis arrodere malumus.

III. Nec terret nos **TYPUS MELCHISEDECI** Gen. 14. Dicitur enim ille non vinum & aquam, sed panem & vinum copiis Abrahami protulisse. Et consequens est in consequens; protulit vinum; E. vinum illud non fuit vinum purum. E. fuit adhibitis Nymphis dilutum.

IV. Quod **CHRISTUS** hujus Ceremonie **AUTOR** sit, vanitas est. Multi enim etiam ex ipsis Papistis ad **ALEXANDRUM I.** Praesulem Rom. hoc institutum referunt. Platina de Vitis P.P. p.17. Edit. Colon. Anno 1611. voluit [Alex.1] aquam admisceri vino in consecratione sanguinis & corporis **JESU CHRISTI**; &c: ut alios omittam testes tam multos quam locupletes. Proinde quomodo à **CHRISTO** oriatur, non videmus. Eant igitur & prius cum suis transigant complicibus, quam nos falso implicare studeant.

V. Frustrà etiam praesidium quaeritur apud Joannem c. 19. §. 34. ubi sanguis & aqua de latere **CHRISTI** exiisse dicuntur. De sanguine & aqua haec est oratio; de vino & aqua, cujus mixturam lucerna in dexteri umbilico accensa jam nunc investigamus, ne pilus est. Satiùs itaq; ac saniùs à P.P. hic explicatur per aquam Baptismus; per sanguinem Coena **DOMINI**; ad quod posterius digitum intendit August: cum inquit: Hoc bibitur ex calice, quod fluxit de **CHRISTI** latere.

VI. Frustrà allegatur Conc. Trid. Sess. 22. c. 8. Monet S. Synodus praecipiam esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, quod **CHRISTUM** Dominum ita fecisse credatur. Nam 1. Incertum per aequè incertum probatur. Siquidem multi ex Pontificiorum classe ambigant, an **CHRISTUS** vino aquam effuderit. 2. dato, esse

esse factum, ex more tantum istius regionis, ob vina fortiora esset factum.

VII. Frustrà demum asciscit Bellar. vetustatem; frustrà ingentem P.P. omnium regionum nomenclaturam in sui defensionem ostentat; quandoquidem nullum vetustas, nullum P.P. errori pariant patrocinium. Nec quid factum, sed quid fieri debuerat quærimus; Nec quid dicatur, sed quam rectè dicatur. Adde quod æquè incertissimum, an mixturam hancce de necessitate Eucharistiæ censuerint Patres; cui tamen sententiæ tenacissimè adherent Papales, ut polypus saxo non ita. Quod si concederetur TRIA in S. Cœna necessario requirerentur elementa; panis, vinum & aqua; sed quam piè, illi viderint.

## II. DE CONSECRATIONE.

IIX. Consecrare hoc in genere nil aliud denotat, quam res S. Conviviij terrenas, panem videlicet & vinum à communi usu separatas, sacræ huic actioni destinare, ut sint media, quibus cum corpus CHRISTI ad manducandum, & sanguis ejusdem ad bibendum porrigantur.

IX. Primus autem hæc consecravit symbola, CHRISTUS Salvator noster, testimonio Evangelistarum Matth. 26. §. 26. Marc. 14. §. 22. 1. Cor. 10. §. 16. & 11. §. 24. vocabula εὐλογίας καὶ εὐχαριστίας promiscuè pro σὺωνύμοις usurpantium. Nec enim obscurum, alioquin harum vocum differentiam esse aliqualem; & benedictionem votum felicitatis, Eucharistian hymnum laudis propriè significare; Quia autem in CHRISTI benedictis actione utrumq; factum est, ideo istarum usurpatio est hoc loco reciproca.

X. In consideratione autem benedictionis CHRISTI quatuor distincti occurrunt actus. 1. Actus est gratiarum actionis ad Patrem cœlestem pro mirabiliter singulari & singulariter mirabili Redemptionis opere, in cuius memoriam hanc S. Mensam instituturus erat. 2. Precationis simul pro Ecclesie salute, simul pro Sacramenti jam jam instituendi fausto successu, simulq; pro ejus ad posterum illibata transmissione atq; conservatione. 3. Consecrationis & Sanctificationis per distinctionem Symbolorum, vini & panis, à communi usu ad sacrum hoc Eucharisticum. 4. Divinæ operationis, ubi externa symbola Salvator ipso actu apta reddidit, ut essent media *postmodum* sive offerentia corpus & sanguinem suum; nec dubium est ullum, quin etiam virtute illius benedictionis, ordinationis, & operationis facta sit mystica rei terrestris & cœlestis unio; & hæc virtus etiamnum durat. Accipimus enim in nostra quoque Cœna ob primam CHRISTI benedictionem & potentissimam dispositionem, non panem duntaxat, sed unâ cum pane vivificum corpus DOMINI; nec solum vivum, sed unâ cum illo verum DOMINI sanguinem. Quod si cui mirum videri velit, audiat Prophetam Teutonicum non tam belle quam religiose super hac re prædicantem: Ut alias in Grammatica Dei verba sunt ipsæ preces, & Dei dicere est facere; ita etiam ejus benedicere est benefacere. Exemplo est luculentissimo primitiva illa Creatoris benedictio, Genes. 1. S. 22, 28. Crescite & Multiplicamini. Ut enim illa benedictio non semel, sub universi scilicet hujus exordium, efficax fuit in animantibus æquè ac hominibus, postmodum verò exspiravit, sed interrupta serie hætenus fuit, hodie est, & usq; erit, dum illa, quæ benedictio ista attingit, esse desierint: Similiter & benedictio CHRISTI in S. hujus Conviviij institutione prolata &c.



XI. Iam si mihi perpendis negotium paululum pressius, videbis parili modo in plerisque nostratum Ecclesiis, ad CHRISTI consecrationem, tanquam ad statuam aliquam Mercurialem, irretorto prorsus oculo respici. Etenim primitus ad devotam, pro hujus Cœnæ institutione, gratiæ actionem multitudo à Sacerdote erigitur; Mox sequitur orationis Dominicæ recitatio; post verborum institutionis, super externa symbola pronuntiatio; quæ omnia solo Consecrationis titulo veniunt.

XII. Nec verò tanta est verborum istorum *ἐνεργεια*, non tanta vis, ut corpus CHRISTI cœlo deducere & pani Sacramentaliter adunare integrum habeant; sed primæ Salvatoris benedictioni omnia accepta referenda sunt; illaque etiamnum suum robur tenent, suumque vigorem; uti sp. indicatum.

XIII. Hæc igitur nostra erant hæctenus: Iam ad Romanenses redeundum, & quid illi hæc in re boni apportent, dispiciendum erit.

XIV. I. Inter illos de verbis & forma Consecrationis CHRISTI mira sunt sententiarum divortia: Alius hæriolatur, Signum aliquod crucis ab ipso super panem formatum esse, atque ita citra omnem verborum formam factitatum consecrationem. Alius; Salvatorem consecrasse his verbis; **HOC EST CORPUS MEUM**: iusque bis prolatis; semel quidem apud se tacite, & tum consecrasse, idque omissum ab Evangelistis; post aperte, quo intelligeretur ab Apostolis: Multi hoc semel tantum factum esse contendunt, idque aperte; ast non eo ordine, quo est in Evangelistis; neque enim illos de observatione ordinis in verborum prolatione à CHRISTO adhibiti quicquam fuisse sollicitos; Ordinem autem talem à CHRISTO fuisse observatum in Cœnæ prima institutione. Accepisse panem & benedixisse, dicendo: Hoc est corpus meum: tum demum fregisse & dedisse Discipulis suis, dicendo:

Accipite, comedite. Videte vero Spiritum vertiginis: primæ crucis formationem quod attinet, cum de illa apud Evangelistas sit altissimum silentium, frustra illi magno conatu magnas agunt nugas. Secretam autem illam & tacitam CHRISTI Consecrationem unde norunt nisi forsitan Mariâ suâ internunciâ? Aut cur suum ipsius sodalitium, imò cur summum suum Q. Q. Theologg. iudicem in ordinem redigunt Papam? secius enim iste. Sed mirum id quidem haut est, quandoquidem ipsum Spiritum ordinis hoc nomine incusent & justificent. Non enim nesciunt, Spiritum Sanctum hic dictasse; Evangelistas scripsisse. Ordinem autem talem vel talem, vel illum vel istum à Servatore esse observatum, iterum quærimus quæ Minerva illis suggesserit? Si ad traditiones suas confugiunt, dicimus more suo agere, hoc est, creatori creaturam constituere iudicem, id quod impiè bliteum.

XV. 2. Nec video, quomodo in Decretorio illo summo die CHRISTO sese hoc nomine purgare velint, quod virtutem planè Phisicam & fermè magicam verbis Institut: à Sacrificio super externa Symbola perperam demurmuratis, adscribant; quasi ad Syllabam UM in hisce verbis: Hoc est corpus meum, panis in gloriosum CHRISTI corpus mutaretur; unde etiam hæc verba iis dicuntur OPERATORIA; undeq; Satanicæ istæ voces apud istos nata & nota: Sacerdos est Creator sui Creatoris; &: qui creavit me sine me, nunc creatur mediante me. Verùm nos hujus rei testimonium petimus nobis exhiberi è sacris Scripturis; idq; rectè. Verùm nos Honorem CHRISTO unice debitum ac proprium in hominem conjici querimus, & quod divine ordinationi tribuendum externe nude atque inefficaci verborum prolationi adscribi; idque haud inique. Et tandem In-

stitu-

stitutionis verba notabiliter discerpi clamamus. Ut e-  
nim verba illa majoris sint ponderis, adjiciunt Con-  
junctionem ENIM; ut talis verborum sit pentas.  
HOC EST ENIM CORPUS MEUM, cui sin-  
gularem vim inesse dicitur; quia etiam Maria vir-  
go quinque verborum virtute miraculose conceperit  
CHRISTUM, dicendo ad Angelum: FIAT MIHI  
SECUNDUM VERBUM TUUM. Perinde ac si  
verba hæc in B. Virgine conceptionem effecissent, &  
non potius fides; ita enim illi occinit Elisabeth: Beata  
tu quæ credidisti. Ut aliis supersedeam nugis, quas hæc  
plane innumerabiles habent.

XVI. 3. Bellarm. libr. 4. de Euchar. c. 12. scri-  
bit; Chemnitium verbis quidem admittere verba DO-  
MINI esse consecratoria, re ipsa autem non agnosce-  
re ullam veram consecrationem, sed solam instructio-  
nem fidei: de quo, cum bono Deo, in conflictu fortassis  
latius. Iam hoc tantum dicimus: 1. Chemnitium &  
nos nominatim statuere, verba Eucharistie non ad in-  
structionem fidei duntaxat, sed rerum terrenarum  
consecrationem adhiberi. 2. Nos illud, quod est in-  
ter nimium & parum, respicere. Namque Papistæ  
nimium tribuunt, Consecrationi, Calvinistæ justo  
minus, Istic in excessu; hic in defectu peccatur. Hic In-  
stitutionis recitatio, historica tantum repetitio existi-  
matur, quæ populum quidem informet symbola autem  
externa non consecret aut sanctificet. Istic virtus quæ-  
dam Physica & ferme magica ipsis Sacrificuli verbis  
assignatur. Nos autem Sacerdotis consecrationem nec  
magicam incantationem cum his; nec historicam so-  
lummodo repetitionem cum illis statuimus; sed tertium

quid, efficacissimum quippe ἀγιασμὸν, quo prima sanctificatio apud primam Cœnæ celebrationem, vi divine ordinationis, in nostram Cœnam suam exerit ἐνέγχα, &c. Quibus probe observatis non causam video, cur, ad incantatorum illorum voces, sint obturandæ aures.

### III. DE DURABILI UNIONE, ET ASSERVATIONE.

XVII. Nostrates Dd. & nos cum illis in hanc concedimus sententiam; Cœnam videlicet Domini esse actionem ἀ δόσι καὶ λήψει dependentem; ita ut conjungantur non disjungantur hæ actiones; quandoquidem non sola δόσι sine λήψει, nec sola λήψει sine δόσει Sacramentum perficiant. Quocirca ubi secundum CHRISTI ordinationem panis benedictus distribuitur, accipitur, comeditur; ibi in hac ipsa distributione & acceptione panis & corpus, vinum & sanguis CHRISTI Sacramentaliter uniuntur; de temporis autem articulo, quo talis unio vel incipiat vel desinat, ipsâ sacrâ Script. reticente, & nos curiositatem nostram, hoc est, stultitiam humanam intra sua coercebimus repagula. Hoc autem certissimum est, cessantibus distributione & acceptione, ipsam actionem cessare, utpote CHRISTI verbis (Edite, Bibite) finem suum jam habentibus. Vincit E. B. Luth. Aphorism: Sacramenta extra usum vel actionem divinitus institutam, non esse Sacramenta.

XIIX. Contra Romano--Catholici prædicant; Eucharistiam non in sola actione sitam, nec rem transientem sed omninò permanentem esse;

le; Intelligē, panem ritē consecratum, sive corpus Domini sub specie panis contentum verē & proprie esse Sacramentum, sive sumatur, sive servetur in pyxide. Atqui hoc commentum ipsis placet; Nobis non item, reclamant enim.

XIX. 1. Verba Institutionis, quæ sunt controversiarum de S. Cœna propria sedes: Non enim Salvator jussit reponi panem aut corpus suum, sed accipi & comedi.

XX. 2. Aphorismus Paulinus. 1. Cor. 10. §. 16. Panis, quem frangimus, id est, distribuimus, nonne est communicatio corporis CHRISTI? Hic connectuntur usus & actio; proinde ita argumentamur: Qui panis non frangitur vel distribuitur, ille non est communicatio corporis CHRISTI; Atque panis in pyxide vel sacrario asservatus non frangitur, non distribuitur. E. panis in pyxide vel sacrar. asservat. non est comm. corp. CHRISTI. E. impiē tanquam CHRISTI corpus reponitur. E. minus rectē adoratur.

XXI. 3. Exemplum Apostolorum. Hi siquidem panem à CHRISTO consecratum & porrectum minimē asservarunt, sed comederunt; perinde ut calicem non reposuerunt, sed ex illo biberunt omnes, ut testis est Marc. c. 14. §. 24. & hunc ipsum ritum postea in celebratione S. Cœnæ tenaciter secuti sunt, cum in ipsorum actis superstitionis hujus asservationis nullum omnino extet vestigium. Quod si certi quippiam habent Papales, proferunt, & pollicemur ipsis aures patientissimas.

XXII. 4. Praxis primitivæ Ecclesiæ. Corin-  
thij

thij enim quoties hoc Sacramentum administrarunt, leguntur hos actus immediate conjunxisse, manducantes panem & bibentes vinum, ut videre est 1. Cor. 10. §. 20, 21. c. 11. §. 26, 28. Frustrà igitur hanc repositionem pro Apostolica traditione vel consuetudine venditant, utpote demum ab Innocentio III. circa Annum 1215. introductam.

XXIII. 5. Natura Sacramentorum. Quicquid enim formaliter est actio, illud non est res permanens, ideoq; nec reponendum. Atqui Cœna formaliter est actio. E. Assumptio est in promptu, collatione Typi & Antitypi. Nam sicut Agnus Paschalis nihil aliud fuit quam mactatio & manducatio; Ita Cœna DOMINI nihil aliud est quam corporis CHRISTI sub pane comestio, & sanguinis ejusdem sub vino bibitio. Huc accedunt verba Activa. EDITE, BIBITE; quodq; citra edendi, bibendiq; actum suum esse habere, nequeat hoc Sacramentum; Ultiq; igitur est formaliter actio & consequenter non res permanens.

XXIV. 6. Typi Vet. Testamenti. Agnum Paschalem & Manna fuisse typos Cœnae Dominice nec ipsi Adversarij negant. Iam autem de Agno Paschali prohibitum erat, ne quid relinqueretur ex eo usq; manè. Exod. 12. §. 10. de Manna, ne quid usq; ad diem alterum reservaretur. Ibid. c. 16. §. 19. Sed typi & antitypi par est ratio. E. de pane & vino consecrato nil asservandum.

XXV. 7. Patres, qui toti nostri sunt, quorumq; hic longus posset pertexi Catalogus; sed studio brevilitatis, vicario ore loquantur Orig. & Cypria. Ille: DOMINUS panem quem discipulis dabat, non distu-

distulit, nec servari jussit in crastinum. Hic: Panis ille non reponitur, non includitur.

XXVI. *Ceterum, quæ hic prolixè disputat Robertus Bellarmin: robuste & belle refutata sunt à Magnif. Dn. Præs. in Prælect. sup. hunc Art. de quo insuper Hospinian. part. 1. hist. Sacram. lib. 5. c. 6. & c: introspicere potest; Nos reservabimus disputationi sociæ.*

#### IV. DE CIRCUMGESTATIONE.

XXVII. *Erroris hujus genitrix est ea, de qua modo egimus Asservatio; Etenim non ideo reponunt consecratam hostiam Romanenses, ut fidelibus postmodum eandem ad manducandum distribuant, sed potius, ut circumgestent, ostentent & adorent, longè secus atq; CHRISTUS instituit.*

XXVIII. *Circumfertur autem panis consecratus 1. propter infirmos; & hic præferuntur vel cerei vel lucerna; insonat squilla; multitudo reverenter se inclinat; atq; adeò equitantes equo quo nihilo prudentiores desiliunt ad adorandum eum, qui pro eis de cælo descendit.*

XXIX. 2. *Propter processiones publicas, ut earum pompa augeatur & illustretur. Iam enim inspecto Diario occurrit deunculi alicujus nomē; nunc aeris serenitate opus est; mox pluviam, & tum insanitur solenniter; nominatim verò in Festo Corporis CHRISTI, vel die Jovis Feriæ post Trinit. Quintæ; ubi Smaragdino graminum virore plateæ condecorantur; ædium verò frontispicia conchyliatis peristromatis, frun-*

frondibus, populis; aris interim in locis augustioribus sumtuosissime erectis; post præfertur miser ille impanatus & inclusus Deus, magna Clericorum & Laicorum stipante caterva; nec quisquam est qui non cereum ardentem, fidei scilicet Catholicae insigne, gestaret; Adde tot cruces ligneas, tot divorum divarumque statuas, tot vexilla, tot pectoris percussiones, tot cantiones, tot sclopetarum tormentorumque explostones.

XXX. Nos huic Comædiæ eadem opponimus fundamenta quæ Asservationi. 1. quod contrarietur institutioni CHRISTI, qui panem consecratum distribuit, non ut circumferatur, sed manducetur.

XXXI. 2. Exemplo Apostolorum, qui nusquam leguntur panem consecratum circumgestasse & ostentasse, sed juxta CHRISTI mandatum comedisse.

XXXII. 3. Praxi Ecclesiæ Apostolicæ & primitivæ. Si enim inductus est ille mos in Ecclesiam ut in processionibus reverenter & honorifice Sacramentum per vias & loca publica circumferatur; factente Concil. Trid. Sess. 13. c. 15. Ergo non habet auctorem CHRISTUM, nec Apostolos, nec Apostolicam Ecclesiam. Interim pia antiquitas testatur panem vinumque delata esse ad absentes atque ægros, sed citra ullam hujuscemodi pompam.

XXXIII. 4. Trahit secum permulta superstitionum portenta; δετολατρεία, ποτηριοκλεψία; aliosque illicitos actus, ut quod hostia consecrata, in ipsa gestatione ad sedanda incendia, ad tempestates arcendas &c. abs mandato CHRISTI, contraque ejus sacratissimam Institutionem, adhibetur.

XXXIV. 5. Pugnat cum aphorismo ex ipsis  
verbis



verbis Institutionibus deducto. Nihil hab. rat. Sacram.  
extra usum &c.

XXXV. 6. Fundamento plane ficulneo sustentatur quod est Asservatio, quâ destructâ facillimè corruet hæc Persica Circumgestatio.

XXXVI. Quanquam nobis haut quaquam improbetur, certa anni die semel & simul frequentius in domo Domini convenire, ut populo doctrina de S. Cæna nervosius explicetur, detectis circa illam Adversariorum vel superstitionibus vel erroribus, cum largiore enumeratione beneficiorum, quæ CHRISTUS in Testamento suo nobis legavit; tum etiam seria ad homines admonitione, ut Testatori huic summas fundentes gratias, verâ præmissa pœnitundine, sæpius atq; in fide hujus Sacramenti recolant memoriam; Cui rei in nostratibus Ecclesiis dies viridium sacra esse consuevit.

## V. DE VENERATIONE.

XXXVII. Quæritur hic, num ipsa consecrata hostia, præsertim extra usum à Salvatore institutum in Supplicationibus religiosè coli & adorari debeat. Nostrates Negantem tenent; Romanenses Affirmantem, pro quibus respondet Bell. lib. 4. d. Euch. c. 29. ubi videat, si cui lubet.

XXXIIX. Nostratium autem sententia seqq. fulcitur rationibus. 1. Nusquam à Deo præcepta est panis consecrati adoratio, E. est ἐθελοθρησκεία, quæ ipsi non placet.

XXXIX. 2. Discipuli CHRISTI, in prima Eucharistiæ institutione, obedientes Magistri sui mandato; Accipite &c. bibite &c. panem consecratum

ΠΟΠ

non adorasse, sed manducasse & calicem bibisse dicuntur, *Marc. 14. §. 24.*

X L. 3. Corpus CHRISTI non est verè & realiter in pane, nec est unio personalis inter panem & corpus CHRISTI; sed CHRISTUS hinc presentiam suam modo mirabili instituit ac promisit. E. ut populo Israelitico, non lignum, non aurum, non Cherubim arcæ fœderis, sed Deus ipse, qui se presentem ibi fore sanctissime receperat, adoratus est: Ita etiam in actione S. Cœnæ Θεάνθρωπον mirè presentem pio affectu veneramus, non ipsa externa elementa.


X L I. 4. Panis post consecrationem Eucharisticam verus est panis, quomodo igitur Papales idololatriæ & δετολατείας crimen effugere poterunt? Neq; nobis purgantur, quando excipiunt, se non agnoscere, externorum elementorum substantiam, post Transubstantiationem, remanere, & ita temerè objici δετολατείας. Non enim quid illi agnoscant, sed quid agnoscere debeant, & quid reapse verum sit, quæritur; non quid mortales ganniant, sed quid testetur Veritas; Verbum autem tuum, ô CHRISTE, Veritas. Huic ut soli, ejectis rationis nugamentis, aures animosq; patefaciamus, repleat nos gratia Sanctissimi Tui SPIRITUS.


A M E N.

*Matth. 15. §. 9.*

Frustra colunt me, docentes doctrinas,  
mandata hominum.







Farbkarte #13

B.I.G.



REGII  
 MENTIS  
 XVII.  
 TAS  
 corum circa  
 HOVA  
 SIDIO  
 IS MEISNERI  
 P. Magnifici p.u.  
 RIS.  
*examinandam*  
 nit  
 flect Cüstrino-  
 chita.  
*is, boris pomeridianis*  
 Auditorio.  
 ERGÆ,  
 NNIS GORMANNI,  
 IO CXX

